Nos Jacobus de Dambrowka Advocatus Provincialis Iurisdiccionis teutonici Maydburgensis Castri Cracoviensis una cum septem Iuratis eiusdem iuris videlicet Johanne Brzesko Martino Holker Stanislao Sancthow-
sky Paulo Neropurg de Cracovia Mikaslo de Blotzizolo Nicolao de Szulosthowka et Nicolao Brzinala de Olbyerzinecz villarum Sculteti per Serenissimum Principem et dominum dominum Kazimirum Dei gracia
Regem Polonie Magnumducem Lithwanie Russie etc dominum nostrum graciosissimum ad id specialiter deputatis Significamus inpalam universis tam presentibus quam futuris recognoscentes. Quod veniens honestus
vir Janussius Pyetschyn Consul Cracoviensis sanus mente et corpore existens non coactus nec aliquo colore doli seductus sed ex bona deliberacione voluntatis et racionis suam advocaciam in Civitate Lublin iacentem cum
omni Iure et dominio Pannorum Mercimoniorum ac Institarum Cameris Balneo Macellis Carnificum Pistorum et Sutorum mense et cum Allodio agris pratis Campis Pascuis Piscinis Piscaturis Aquis
et earum decursibus Molendinis ac ipsorum emolumentis Nemoribus Silvis Quercetis Bayis Rubetis etc prout eadem Advocacia antiquitus est in se distincta et limitata Censibus fructibus proventibus et gene-
raliter cum omnibus coherenciis adherenciis et dependenciis quocunque nomine vel nominibus appellantur universis secundum tenor privilegii ipsius Advocacie fundamentalis in se continet et ostendit. Prout ipsam Ad-
vocaciam prefatus Janussius solus tenuit habuit et possedit Nichil in eadem iuris et dominii sibi reservando Dempta tamen lapidea que iacet in Circulo ibidem in Lublin. Quam lapideam dictus Janussius suis
propriis emit peccuniis et edificavit famoso viro Stanislao Morsztin etiam Consuli Cracoviensi Generi suo cum omni faciendi et dimittendi potestate perpetue resignavit Ad quam resignacionem Johannes filius eius
stans personaliter coram nobis uti expressum est consensit. Et promisit ipse Janussius cum Johanne filio dicto suo ipsum Stanislaum ab omni impedimento tueri et intercedere a qualibet persona iuxta formam Iuris
Presertim tamen pro Dorothea filia eius minore et Sorore Johannis quia dum ipsa ad annos sue Etatis pervenerit quod similiter ad hanc resignacionem debet consensum prebere et consentire. Eciam prefatus Janussius
cum filio promiserunt Pro fratre Janussii et Patruo Johannis qui hic in Terra non est. Et pro eius pueris quod illi dominum Stanislaum Morsztin circa huiusmodi resignacionem quietum et in pace debebunt remanere
facta autem resignacione huiusmodi. Predicti Janussius Pyetschyn cum Stanislao Morsztin obtulerunt in carta per cedula certos Articulos descriptos quos in ipsorum stacione dote Advocacie mutuo contractu et con-
dicto inter se fecerunt et in quos etiam tenendos firmiter recognoscentes se consenserunt. Petentesque nos. Quatenus dictos ipsorum Articulos et condiciones descriptos in quos sicut prefertur mutuo consenserunt acticari in Re-
gistrum nostrum deberemus quod iuxta formam iuris est eis editum videlicet quid acticari debent. Quorum quidem Articulorum primus est. Quia Janussius Pyetschyn Recognovit quod Stanislaus Morsztin sibi pro
eadem Advocacia Mille florenos hungaricales aureos in auro solvit. Et in quo dicta Advocacia summe huius Mille florenorum est melior. Illud Janussius sibi Stanislao Morsztin post Katherinam filiam suam
quam sibi in uxorem dedit effectualiter donavit et contulit talibus interiectis condicionibus quod si predicta Katherina filia Janussii de hac luce absque prole quod absit decederet. Extunc Ego Janussius Pyetschyn promitto
et meos heredes ad hec astringo quia prefatos Mille florenos econverso sibi Stanislao Morsztin solvere tenemur et debemus. Et dum sibi eosdem Mille florenos persolverimus. Extunc Stanislaus Morsztin eandem
Advocaciam michi aut successoribus meis liberaliter absedere et econverso resignare debebit. Iterum econverso si dominus Stanislaus Morsztin abhac vita non relicta prole decederet. Extunc predicta Advocacia super Ka-
therinam filiam Janussii Pyetschyn et uxorem Stanislai Morsztin iure hereditario debet devolvi hac condicione. Ut ipsa Katherina heredibus seu successoribus liberalibus Stanislai vel cui Stanislaus Morsztin testa-
mentaliter legaret seprefatos Mille florenos solvere debet et quando persolvet. Tunc heredes aut seu successores domini Stanislai Morsztin Advocaciam predictam hereditarie econverso sibi Katherine resignare debent et
omnibus tenentur Sed si ipsi dominus Stanislaus Morsztin et Katherina uxor eius et filia Janussii Pyetschyn mutuo prolem procreaverint et habuerint. Extunc prefati Articuli nullius erunt vigoris et firmitatis et debent
in nichil converti. Et prefata Advocacia in eundem Stanislaum ex Iuris succedet Preterea dominus Janussius Pyetschyn actualem iam domino Stanislao Morsztin in ipsam Advocaciam dedit intromissionem. Et super ean-
dem intromissionem datus est de Iure Ministerialis et per dominos par Iudicii indita est etc. Postremo prefati Janussius Pyetschyn et Stanislaus Morsztin mutuo coram nobis requisierunt in sentencia
Bequo nos ambo mutuo recognoscimus quia super Articulos istos in Registrum vestrum acticatos eos firmiter tenere consensimus et hii Articuli sunt acticati. Utrum prefati Articuli Robur et vigorem fir-
mitatis habere debent vel in eo quod Iuris est. Quibus est decretum. Bequo Janussius Pyetschyn et Stanislaus Morsztin Consules de Cracovia stantes coram Iudicio hic et recognoscunt se istos Articulos
quos in Cedula nobis in Iudicium repposuerunt teneri ipsos debere mutuo et sicut Articuli in Registrum nostrum acticati et inscripti. Extunc prefati Articuli Robur et vigorem habere debent et obtinent firmitatis
de forma Iuris scripti. In quorum omnium evidenciam et validius testimonium Sigillum Regale nostri Scabinatus officii presentibus est sub appensum Actum et Datum in Castro Cracoviensi feria quinta
ipsa die sancti Antonii Anno domini Millesimo Quadringentesimo Quinquagesimo sexto.

1456

super advocatia

1456to.

Nos Consules Ciuitatis Cracouie Recognoscimus harum serie litterarum vniuersis quibus expedit. Quia coram nobis in Consulari nostra sessione Prouidus vir dominus Stanislaus Mornsteyn confrater noster Consiliy produxit et depo
suit litteras priuilegy pergameneas Illustrissimi Principis domini Kazimiri Regis Polonie ac domini nostri graciosissimi cum appenso Serenitatis sue sigillo mediocri in pendulo pergameneo sub relacione olim Magistri domini petri de Szcko
czyn Regni Polonie vicecancellary saluam sanam integram non viciatam neque cancellatam sed omni prorsus vicio et suspicione carentem cuius tenor de verbo ad verbum precise ut sequitur erat talis. Innomine domini Amen. Nos Kazimirus
deigracia Rex Polonie Necnon Terrarum Cracouie Sandomirie Syradie Lancicie Cuyauie Dobrinie Magnusdux Lythwanie pomeranie Russieque dominus et heres Significamus tenore presencium vniuersis quibus expedit presentibus
et futuris notitiam presencium habituris. Quod dum inter Prouidos Johannem Peczen Aduocatum ex vna ac Consules et Ciues nostros lublinenses ex altera partibus quamplurime dudum exorte fuissent displicencie lites et differencie vt
audienciamque nostram crebrius ipsi turbabantur prout et nunc in querelis recepimus. Nos qui lites inter subditos nostros egrescimus et pacis vnionem semper amplecti cupimus. Mandauimus certis nostris Baronibus, et in concordia
auctoritate nostra Regia commisimus videlicet Magnificis et Generosis. Predborio de Coniczpole Sandomiriensi Petro de Szczekoczyni Regni nostri Polonie vicecancellario, Albertho de Michow Zawichostensi castellanis
Johanni Cnopathwa de Laczuthow Succamerario et Johanni de Rydzina venatori lublinensi huiusmodi differenciarum lites inter partes predictas audire reuidere et examinare Judicialiter quoque componere et decidere. Quiquidem
Barones nostri prefati auditis et debite pensatis hincinde partium proposicionibus et responsis ac debite differenciarum circumstanciis auscultatis Talem ordinem auctoritate nostra Regia Inter ipsas partes perpetuis temporibus obseruandum admo
nentes Judicialiter decreuerunt sub forma et modo infrascripto Primo siquidem ipsos Consules Ciues et Incolas Ciuitatis nostre predicte lublinensis in Jure ipsorum Theutunico in omnibus punctis et clausulis prout hocipsum Jus
requirit temporibus perpetuis conseruarunt Ita quod ipse Aduocatus et sui posteri Consules Ciues et Incolas Ciuitatis nostre predicte de Jure ipsorum Theutunico euocare non debet, sed prosingulis causis ipsis Consulibus Ciui
bus et Incolibus lublinensibus aut ipsorum alicui seorsum penes idem Aduocatum mouendis Jure Theutunico agat et procedat. Ipse eciam Aduocatus Jure Theutunico secundum sui priuilegium omnibus de se querulantibus iustifi
cari debebit sub pena vallata Centum marcarum. In primis autem omnes Institas quas sub pretorio ipsorum edificauit Aduocatus post cuius consumpcionem pro se habere et perpetuis temporibus possidere debebit, sub tali condicione
quod omnes Institores debent in eisdem Institis residere et suas merces et res vendere ac eidem Aduocato et suis legittimis successoribus Census exinde prouenientes soluere, Omnesque Institores in Ciuitate nostra lublinensi existentes
debent Institas ibidem in lublin existentes que omnes sunt Aduocati possidere alias osszesz tot quot fieri possunt. Quiquidem Institores habentes Institas predictas, die fori videlicet feriis secundis possint locare suppria in
aliis locis Circuli Ciuitatis lublinensis Et ceteri alii Institores quibus Aduocati Institis non sufficerent Et in quibus Institis locum habere non possent poterint eisdem diebus fori Septimanalis libere extendere suppria
seu Institas et suas vendere merces Item omnia macella carnium Aduocatus habeat et possidere debeat que sunt in locis ab antiquo pro macellis Instituta. De illis vero Carnificibus qui habent macella, et de Jure eorum
quo ipsa macella possident dubitatur debent et Carnifices citari per Aduocatum ad presenciam Capitanei et Consulum lublinensium et ibi Capitaneus cum eisdem Consulibus ad pretorium descendere debent et Judicium
bannire Et in eodem Judicio bannito Jura ipsorum cernere et examinare Et cuiuscumque Jus ab antecessoribus Aduocati legittime procedere conspexerint Illud in suo robore conseruetur Quod si Aduocato vel Consulibus
huiusmodi decisio non placuerit Et ipsam assumere pro rato refutauerint Extunc ad Jus supremum Castri nostri Cracouiensis poterint reuocare et debent remitti pro Justicia consequenda Et quid Jus Theutunicum sup
premum Castri nostri Cracouiensis dictauerit Illud ambe partes debent tenere inuiolabiliter Consules insuper lublinenses eidem Aduocato de quatuor macellis de quibus sibi condescenderunt se deinceps intromittere non
debent, quas Aduocatus cum omni Jure et omnibus prouentibus possideat perpetuis temporibus Item inter easdem partes super solucionem pannicidarum quos Aduocatus habere vult Juxta Jura et priuilegia sua, Taliter
est Inuentum et decretum Quod quia Aduocatus vult habere Census a pannicidis et Ciues dicunt quia propter exustionem Ciuitatis ipsi Ciuitati dedimus libertatem ab omnibus solucionibus nobis et cuilibet persone
debitis. Et ideo soluere non tenentur Econuerso Aduocato dicente Quia nos a suis censibus et solucionibus dedimus libertatem Sed Aduocatus hac racione non vult censibus suis carere. ad quos Jura obtinet Super qua altercatione
cione taliter est Inuentum et conclusum quod debent ista Negocia stare prout stant vsque ad festum Sancti Michaelis proximum Ibitandem debent deducere ipsam causam cum Juribus suis ad Sex Ciuitates quibus sup
inde per specialem nostram litteram committere decreuimus Et si inuenerint ipse Ciuitates quod pannicide predicti obligantur ad solucionem Census predicti Non obstante libertate nostra extunc deinceps tenebuntur et debe
bunt soluere ipsi pannicide Aduocato Census eidem debitos Sed et illos tunc debebunt soluere quos retinuerint a tempore quo sibi eosdem negauerunt Item de pistoribus Ciuitatis lublinensis dum dante domino feliciter
in lublyn in proximo constituemur Extunc quicquid inter predictas partes pro ipsis per nos Inuentum et decretum fuerit, hoc pro rato et firmo sub eadem pena vallata Centum marcarum ipse partes tenere et ob
seruare debebunt. Quamquidem composicionem et decretum prefatorum Baronum nostrorum Juxta formam et ordinem superius expressum presenti nostra littera approbamus et perpetuis temporibus confirmamus
decernentes ipsa robur obtinere perpetue firmitatis per ipsas partes sub pena vallata predicta Centum marcarum omnes articulos presentis decreti debere tenendos Et si aliqua partium presens decretum in toto vel
in aliqua parte tenere noluerit aut quouismodo contempserit extunc pars non tenens nobis quinquaginta marcas soluere tenebitur et sit astricta tociens quociens premissa transgressa fuerit Harum quibus Sigillum
nostrum presentibus est appensum testimonio litterarum Actum Cracouie feria sexta ipso die Visitacionis beate Marie virginis Anno domini Millesimo quadringentesimo quinquagesimo primo. presentibus
ibidem Magnificis et Generosis Johanne de Thanczyn Castellano Johanne de Thanczyn palatino Cracouiensi lucra de Borka palatino poznaniensi predborio Sandomiriensi Przeslao de Lanczyczie
rosziyank lublinensi et Gregorio de Cornicze Radomiensi Castellanis et aliis quampluribus testibus circa premissa Datum per manus Magnifici Johannis de Coniecpole Cancellary et petri
de Szczekoczyni vicecancellary Regni Polonie. Cuiusquidem erat tenor priuilegy predicti precise in omnibus suis continencys et in sua forma manu cuiusque nostrum absque omni fraude et seduccione veraciter transsumptum
In testimonium veritatis Sigillum nostrum Consulare presentibus est appensum Actum et Datum feria sexta post festum Sancti Bartholomei Anno domini Millesimo quadringentesimo quinquagesimo sexto

No 78

1451

1456